



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1847**

CIV. Der Propst Peter erklärt, daß zwei Theile des Zehnten aus dem Dorfe Zachow dem Domcapitel verpfändet sehen, am 14. November 1282.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54048](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54048)

marchiones, moti visceribus pietatis, intuentes inedia et paupertatem ecclesie Rodhe, ut canonici inibi deservientes eo commodius deo valeant deservire, eidem ecclesie in Rodhe et canonicis jus patronatus ecclesie in Gorzeke liberaliter donaverunt, nos vero dictorum principum pia commendantes opera et considerantes dictorum canonicorum turbationes, ex consensu nostri capituli dictam donationem confirmandam duximus ob reverentiam nominis Jhesu Christi et ut eorundem consolationibus tam nos quam nostrum capitulum intendamus eo plenius, eisdem canonicis in prefata ecclesia Gortzeke synodalia perpetuo relaxamus, ita tamen, ut preposito Brandenburgensi vel ei, qui nomine suo mittitur in presidenda synodo et dandis procurationibus, in eadem subserviant ecclesia, sicut ceterae ecclesie christiane. In recognitionem vero predictorum omnium dicti canonici ecclesie Brand(enburgensi annis) singulis in dimidia marcha Brandenburgensi argenti servient, quam semper ad summam synodum preposito Brandenburgensi, qui pro tempore fuerit, (presenta)bunt. Ut hec nostre donationis predictae confirmatio stabilis perseveret, presentem eis dari iussimus literam sigillo nostro et ca(pituli) nostri confirmatam adhibitis testibus idoneis: (Domino Petro) preposito Brandenburgensi, domino Johanne, priore de Brandenburg, R. scholastico Stendaliensi (ac aliis) fide dignis. Actum et datum Pritcerwe, anno domini M°. CC°. LXXIII°. V. id. Januarii, pontificatus nostri anno XI°.

*Nach dem Originale, welches schadhast ist. Die eingestammerten Stellen sind willkürlich ergänzt.*

**CIV.** Der Propst Peter erklärt, daß zwei Theile des Zehnten aus dem Dorfe Zachow dem Domcapitel verpfändet seyen, am 14. November 1282.

Petrus, dei gratia prepositus ecclesie Brandenburgensis — notum esse volumus universis, quod — cum felicis recordationis Albertus, quondam prefectus veteris civitatis Brandenburg, duas partes decime de duobus manfis in villa Zachowe, que nunc est proprietatis ecclesie Brandenburgensis, jure feodi aliquamdiu possidisset et per mortem ipsius ad Hinricum idem jus transivisset legitime nec non et ad alios filios suos heredes, duo ex ipsis filiis juniores, Johannes scilicet et Rodolfus, nati prefectisse antique relictæ dicti Al. que postmodum Johanni de Segefere fuerat copulata, dictum feodum, quatenus eos tangebatur, cum omni jure, non coacti, non illecti, in manus nostras ad usum jam dicti Henrici prefecti veteris civitatis Brand., confratris et coheredis ipsorum, libere resignarunt. Predictus vero Henricus prefectus sepeditum feodum, ex integro devolutum ad ipsum, videlicet duas partes decime frugum, arearum et animalium, non minus in campo quam in villa Zachowe pro septem marcis argenti, quas sibi mutavimus, nobis ex parte ecclesie pignori obligavit, hoc adjecto, ut ecclesia nostra dictam percipiente decimam, quam cito mutuum VII. marcarum dictus Henricus restituerit, directa via decima ad ipsum redeat ab ecclesia Brandenburgensi, sicut prius per ipsum in feodo possidenda. — Testes autem de canonicis nostris, qui interfuerunt, sunt hii Johannes prior, Kristianus, Hinricus de Gardelege, Hinricus de Belitz et alii quam plures. Et nos Walterus Flamingus, Engelbertus Symon, Johannes de Rathenowe, Walterus de Vifene, Hinricus dictus de Vifelere, cives veteris civitatis Brandenburgensis, predictis omnibus rogati interfuimus et sigillo civitatis nostre ea procuravimus consignari. Datum et actum in clauastro Brandenburg, anno domini M°. CC°. LXXXII°. XVIII. Kal. Decembr.

*Nach dem Originale.*